

Quaerenti, quomodo locus Odysseae ζ 287 sq. ἦ τ' ἀέκητι φίλων πατρός και μητρός ἐόντων | ἀνδράσι μισηγῆται intellegendus esset, mihi responsa commentatorum (cf. Faesi, Ameis-Hentze, Bornemann), qui verbum φίλων ab ἀέκητι pendere et genetivo absoluto πατρός και μητρός ἐόντων (patre et matre viventibus) accuratius definiri dicunt, ad persuadendum parum apta visa sunt. Certe non genetivum absolutum, sed appositionem, cui ipsi participium adiunctum est, statuere debuerunt (cf. Stanford). Sententia autem eorum omnino displicet, primum quia generalis φίλων commemoratio incommoda est, deinde quia participium, quo parentes vivere affirmari putant, male languet. Versus structura fortasse aliter explicanda est. Suspicio enim praepositionem ἀέκητι ad similitudinem tot vocabulorum, quae modo praepositionis modo adverbii vice funguntur, hic pro adverbio usurpari, quod cum participio ἐόντων copulandum est (ἀέκητι itaque fere i. q. 'in Unwilligkeit'; alias, quantum scio, hoc modo non adhibetur; δ 665, etiam si recte traditur, huc non pertinet; de adverbis cum εἶναι coniunctis vide Chantraine, Gramm. Hom. II p. 9, Kühner-Gerth, Gramm. d. griech. Sprach. I p. 38; cf. e. g. β 82 ἄλλοι μὲν πάντες ἀκὴν ἔσαν, ι 166 Κυκλόπων δ' ἐς γαίαν ἐλεύσσομεν ἐγγὺς ἐόντων; ordo verborum tamen notandus). Restat illud φίλων, quod haud scio an commune nominum πατρός και μητρός epitheton sit. Sed tam diu quam congruentiae rationem exemplis, quae accurate respondeant, comprobare nequeo, commentatores aliquatenus secutus verbum φίλων substantivi locum obtinere et appositione πατρός και μητρός artius circumscribi sumere malo (cf. tamen Ω 710 sq. πρῶται τόν γ' ἄλοχός τε φίλη και πότνια μήτηρ | τιλλέσθην, ζ 183 sq. ἦ δὴ δμοφρονέοντε νοήμασιν οἶκον ἔχητον | ἀνήρ ἠδὲ γυνή, T 291 ἀνδρα μὲν φῖ ἔδοσαν με πατήρ και πότνια μήτηρ). Quibus consideratis hanc interpretationem commendo: φίλων, πατρός και μητρός, ἀέκητι ἐόντων (Prof. M. Leumann, quem consului, de interpretatione mea non male existimat).

Bonn

Wilhelm Seelbach

---

Schriftleiter: Priv.-Doz. Dr. Ernst Vogt, Bonn, Lennéstraße 12. Druck: Peter Buchbender, Bonn. Verlag: J. D. Sauerländer's Verlag, Frankfurt a. M. Manuskrifte sind (möglichst in Maschinenschrift) an Herrn Prof. Dr. Hans Hertel, Bonn, Kurfürstenstraße 52, nach vorhergehender Anfrage einzusenden. — Printed in Germany.